



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

12. S. Æmilianus Abbas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Clausulæ locò subnectamus invocatio-
nem S. Joannis Chrysostomi quotidie
orantis : *Ave igitur Mater! Ave cœ-
lum, puella, Virgo, thronus, ecclesiae
nostræ decus, Gloria, & Firmamentum,
affidue pro nobis precare Jesum Filium
tuum, & Dominum nostrum : Ut per te
misericordiam invenire in die judicii, &
quæ reposita sunt iis, qui diligunt Deum,
bona consequi possimus, gratia, & be-
nignitate Domini Iesu Christi : Cum quo
Patri simul, & sancto Spiritui gloria, ho-
nor, & imperium nunc & semper in sa-
cula sæculorum. Amen.*

Festum S. Æmiliani Abbatis
Magni totius Hispaniæ ex Ord. S.P.
Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

Nascitur humili loco, quem tamen
virtute S. Æmilianus reddidit per
totam Hispaniam illustrissimum. No-
bilitas folida non multis avorum ceris,
sed virtutum acquiritur meritis. Quid
juvat, clarere sanguinis nobilitate, & ob-
D d scura-

626 XII. Novembris. S. Æmiliani.

scurari vitiis? Malum sit omen, nomen
sine sanctitate, & virtutis amore.

Instructio meritoria.

Si unquam, hodie gratias agamus Deo
pro beneficio Creationis, Redemptionis,
Sanctificationis, & Vocationis. In hunc
finem dicamus Psalmum Eucharisticum:
Benedic anima mea Domino, & omnia,
*quæ intra me sunt, Nomi*ni sancto ejus.
Gratias agere Deo possumus, referre
non possumus. S. Aug. Ingratitudo res
peremptiora est, & hostis gratiæ. S.
Bern.

II.

Per quadraginta annos in ardui mon-
tis penetralibus secretis, uni Deo
notus, asperrimum vitæ genus vixit, pas-
sus aëris, ventorum, & inferorum incle-
mentiam. Fili! qui placet hæc vita?
Christiani sumus: Et deliciis emere cœ-
lum arbitramur? Fallimur. Pro mag-
no diligi non debet, quidquid conclu-
ditur fine: Illa appetenda, illa magnopere
diligenda, quæ nec inventa trans-
eunt, nec adepta deficiunt. S. Greg.

In-



Instructio meritoria.

Algemus, frigescimus & nos hoc brumali tempore. Non indignemur, sed hilariter patiamur, memores, si bona accepimus tempore æstivo : cur non & hyemis sustineamus incommoda? Ut corporis mollitiem aliqualiter castigemus, reprimamusque, in ecclesia longius persistamus, sanctissimumque Altaris Sacramentum manibus erectis adoremus, additò speciali Rosariò dolorosò. Amor nescit frigora. Ubi ille, non nisi incendia.

III.

Pro patriæ defensione de cœlo non semel descendit S. Æmilianus, & cœlestibûs armis in Mauros, juratos Hispaniæ hostes, & inimicos potenter depugnavit. Sic cœlites exhibitos sibi compensant honores. Signatum est super nos lumen vultûs Sanctorum. Cendum, ne obscuremus iniquâ vitâ. Puritas conscientiæ occurrit Divinæ Justiciæ. Placabit provocatam.

Instructio meritoria.

Pergamus ergo ô fili! In cultu Patro-

Dd 2 norum

628 XIII. Novembr. Sanctorum Benedictin.

norum nostrorum, præsertim eorum,
quorum Nomina in S. Baptismo, & die S.
Professionis accepimus. Horum festa
quoties redeunt per annum, integrum
pietatis instituimus, atque gratitudinis
octavam, attribuendō cuilibet diei spe-
ciale aut humilitatis, aut abstinentiae, aut
alterius austерitatis opus. Hæc tamen
fiant cum præscitu Reverendi Patris spi-
ritualis, ne vanæ & propriæ imputetur
voluntati. Tali cultu, & devotione quis
mori timeat?

Festum omnium Sanctorum ex SS. Ordine Magni Patris Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta Confratrum nostrorum in
cœlis est gloria! Sed unde? Nonne
quia magna egerunt, & fortiora susti-
nuerunt pro Christo in terris? Ad parem,
mi fili! triumphum invitamus; at non
hæc pugna, non sine certamine, & luctâ.
Spes mercedis sudorem abstergit opera-
rio, & Dei, ac Sanctorum memoriae
rumnis, aliisque conflictionibus non
eruat amatorem? Ubi amat, ibi non
labo-